



SUPREMUM  
SIGNATURAE APOSTOLICAE  
TRIBUNAL

PALAZZO DELLA CANCELLERIA  
00120 CITTÀ DEL VATICANO

**Prot. n. 41422/08 CA**

**CONCHEN.**

**Designationis commissarii et cessationis ab officio**

**(Consociatio “Lumen Dei” – Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae)**

**Cf etiam prot. nn. 41053/08 CA, 41221/08 CA et 42677/08 CA**

**DECRETUM**

A misso munere Praesidis generalis consociationis *Unión Lumen Dei* lapsu temporis praefiniti a Rev.do P. Francisco Xaverio Mahia Colao, ad normam Constitutionum officium Praesidis generalis ad interim sede vacante mense maio 2007 assumpsit Rev.dus P. Daniel Zavala Arévalo. Qui quaedam consociationis membra dimisit, eorumque in consociationem ab Exc.mo Episcopo Conchensi restitutionem decretam executioni mandare renuit atque electionem Praesidis generalis sine die procrastinavit.

Commissarium Pontificium consociationis *Unión Lumen Dei* Exc.mum D.num Ferdinandum Sebastián Aguilar, Archiepiscopum emeritum Pampilonensem et Tudelensem, die 14 maii 2008 Em.mus Praefectus Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae designavit simulque Rev.dum P. Daniel Zavala Arévalo a munere Praesidis generalis ad interim sede vacante eiusdem consociationis amovit.

Remonstrazione una cum suspensionis petitione reiecta, Rev.dus P. Daniel Zavala Arévalo die 11 iunii 2008 ad H.S.T. recurrit. Iterum reiecta decreto Congressus, die 12 septembris 2008 habiti, actus impugnati suspensione, causa rite discussa est inter Cl.mos partium Patronos atque Rev.mum Promotorem Iustitiae.

Quibus praehabitis,

## SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Praemisso quod principium viget admodum generale iuxta quod onus probandi incumbit ei qui asserit (cf. can. 1527, § 1), adeo ut, decreto administrativo elicito, legitimus praesumatur donec contrarium a recurrente probetur; qua de re, actus illegitimitate a recurrente haud probata, recursus reiiciendus est;

Perpenso quod Rev. P. Daniel Zavala Arévalo legitimatione activa gaudet ad decretum diei 14 maii 2008 coram H.S.T. impugnandum; nam:

- imprimis denegari nequit eius legitimatio ad recurrendum adversus amotionem ab officio Praesidis generalis ad interim sede vacante, quod ipse Rev.dus P. Daniel Zavala Arévalo iure obtinuit ac detenebat;
- ad eundem Rev.dum Virum certo pertinet etiam legitimatio ad recursum interponendum adversus Commissarii Pontificii pro consociatione *Unión Lumen Dei* designationem, saltem uti eiudem consociationis socius;
- legitimationi activae praeterea non officit in casu assensus, quem Rev. P. Daniel Zavala Arévalo actui impugnato dedisse asseritur; cum, enim, recursus roboris suspensivae expertus sit, recurrenti atque omnibus, quorum interest, incumbit onus non solum actui impugnato assentiendi, sed etiam illum executioni mandandi vel saltem eiusdem executionem haud impediendi;

### DE IURE QUO REGITUR *UNIÓN LUMEN DEI*

Animadverso quod argumentum princeps a Rev.do Recurrenti adductum, iuxta quod iure quo utimur pro consociatione privata Auctoritas ecclesiastica commissarium designare atque moderatorem amovere nequit, principium indeclinabile atque dirimens non constituit; nam:

- consociationes omnes, privatis minime exceptis, Auctoritatis ecclesiasticae competentis vigilantiae atque regimini subsunt ad normam iuris (cf. saltem cann. 305, § 1; 323, § 1; 325, §§ 1-2 praescripta);

- iuxta pernotas iuris regulas «Plus semper in se continet quod est minus», «Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus», «In toto partem non est dubium contineri» (Regg. 35, 53 et 80, R.J., in VI°), ad Auctoritatem ecclesiasticam, quae consociationes privatas suppressere potest (cf. can. 326, § 1), pertinere negari nequeunt in consociationes privatas provisiones rationabiles, id est habita ratione adiunctorum atque gravitatis irregularitatum, infra consociationis suppressionem, uti quidem commissarii designationem necnon moderatoris amotionem (cf., exempli causa, explicite L. CHIAPPETTA, *Il Codice di Diritto Canonico. Commento giuridico-pastorale*, I, Napoli 1988, ad canonem 323, n. 1609, p. 403; ibidem, Napoli 1996, n. 1749, p. 439; cf. etiam indirecte R. PAGÉ, *ad can. 326*, in *New Commentary on the Code of Canon Law*, New York/Mahwah 2001, p. 418; H. SCHNIZER, *Die privaten kirchlichen Vereine*, in *HdbKathKR*, Regensburg 1983, p. 473; ID., *Die privaten und öffentlichen kirchlichen Vereine*, ibid., Regensburg 1999<sup>2</sup>, p. 583 nota 20);

Animadverso insuper quod natura privata consociationis *Unión Lumen Dei* extra dubium non est, cum potius argumenta plurima adsint, quae eiusdem naturam re seu de facto publicam clamant; nam:

- consociatio *Unión Lumen Dei* [= ULD], die 25 ianuarii 1986 ab Exc.mo Episcopo Conchensi uti privata approbata, inextricabili nexu coniungitur atque veluti confunditur cum consociatione *Unión Sacerdotal Lumen Dei* [= USLD], ab eodem Exc.mo Praesule die 12 ianuarii eiusdem anni uti publica approbata;
- qui inextricabilis nexus ex Constitutionibus utriusque consociationis apprime elucet, praesertim quod attinet ad Praesidis generalis auctoritatem atque designationem (cf. praesertim artt. 63, § 2; 64, § 2; 64, § 3 litt. e-f; 68, § 4 Constitutionum ULD; 39, § 3 Constitutionum USLD), ex denominationibus ad consociationes simul designandas adhibitis (cf. AC 1117: «familia Lumen Dei (U.L.D. y U.S.L.D.)»); cf. etiam AC 1093) necnon tam ex relatione a Rev.do Adsistente Ecclesiastico tempore unsuspecto confecta quam ex ea ab Exc.mo Commissario Pontificio nuper exhibita de vita et operibus consociationum;
- consociatio ULD membra quoque «non sui iuris» complectitur, quippe quae «en virtud de su voto de obediencia, no pueden tomar iniciativa alguna sino bajo la iniciativa de la Autoridad competente, que representa para ellos la del Señor» (art. 49, §§ 1-2 Constitutionum ULD);
- actio membrorum consociationis ULD vinculis conscientiae in foro Dei nonnumquam ligatur (cf. art. 61 Constitutionum ULD);

Considerato denique peculiari munere Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae relate ad consociationes fidelium, eo animo erectas ut formam vitae consecratae aliquando eveniant (cf. art. 111 Const. Apost. *Pastor bonus*);

#### DE COMMISSARI DESIGNATIONIS CAUSA

Perspecto quod Dicasterium competens Commissarium Pontificium consociationis constituit «para restaurar la comunión entre los miembros de la Unión Lumen Dei y la cohesión entre sus tres ramas», quodque Rev.dus Recurrens respondit: «No existe división interna en Lumen Dei, y esto puedo producirlo por medio de los testimonios de adhesión que obran en mi poder», quae attamen novissima obiectio non tenet, quia apud molem documentorum coram Congregatione productorum plures epistulae atque relationes prostant, quae de perturbato statu consociationis referunt: cf., exempli causa, epistula a Rev.do P. Zavala Arévalo ad Em.mum Congregationis Praefectum die 28 septembris 2007 data (AC 1140-1141); epistula a Cl.ma D.na Silvia M. Bermejo, Praeside regionali adiunctae sectionis mulierum in Chile, ad Em.mum Secretarium Status die 6 novembris 2007 data (AC 1176; cf etiam AC 1176-1179); plura scripta eiusmodi in «Expediente. Solicitud de ayuda de las Hermanas de Lumen Dei – Diciembre de 2007» (AC 1239-1391);

#### DE PRAESIDIS GENERALIS AD INTERIM SEDE VACANTE AMOTIONE

Considerato quod officium Rev.di P. Daniel Zavala Arévalo officio Moderatoris supremi consociationis simpliciter aequari nequit, cum tam ex eiusdem denominatione («Presidente General Provisional sede vacante») quam ex muneribus ipsi vi Constitutionum collatis satis appareat eiusdem natura precaria: «El “Presidente General Provisional sede vacante” tiene todos los derechos y atribuciones del Presidente General de la U.L.D. Su misión principal es convocar la Asamblea General de los electores para proceder a la elección del Presidente General. Procurará por lo mismo no hacer cambios. Su oficio, además de este principal y específico de proceder a la elección del Presidente General, es el de detentar la potestad en la U.L.D. sólo en orden a mantener lo ordenado y puesto en marcha. Todo lo que sea ordenanzas nuevas, evítelo, a no ser que una causa gravísima

aconseje lo contrario» (art. 67, § 6 Constitutionum ULD, sub rubro: de electione Moderatoris generalis);

Considerato insuper quod rationes ad Rev.dum P. Daniel Zavala Arévalo amovendum insufficientes dici nequeunt; nam:

- sicut Praeses generalis ad interim sede vacante simul non habetur cum officio Praesidis generalis consociationis pleno, pari ratione videtur haud plane congruum munus Praesidis ad interim sede vacante servari, cum Commissarius Pontificius, «que, en nombre de la Santa Sede, dirija temporalmente la Asociación», constitutus sit;
- praecipuum Praesidis generalis ad interim sede vacante munus, id est electiones indicendi, quasi ab intrinseco cessavit, cum ipse pluries electiones sine die seu in incertum procrastinare disposuerit (cf., exempli gratia, epistula a Rev.do P. Daniel Zavala Arévalo ad Em.mum Congregationis Praefectum die 26 octobris 2007 data, in AC 1163; processus verbales dierum 22 octobris 2007, in AC 2227, et 23 ianuarii 2008, in AC 2284-2289);

Considerato denique quod praescriptum can. 318, § 2, de auditione praevia tum moderatoris tum maiorum consociationis officialium cavens, in casu minime violatum demonstratum est, quia una ex parte non agitur de moderatore consociationis, sed de Praeside generali ad interim sede vacante; altera ex parte satis ex actis patet Rev.dum P. Daniel Zavala Arévalo commercium epistulare ditissimum habuisse cum Congregatione Curiae Romanae ac de eodem commercio eundem Rev.dum Virum certius fecisse suum consilium;

Ad actionem inhibitoriam invocatis cann. 1497-1500 praescriptis a Cl.mo consociationis Patrono adversus Exc.mum Commissarium Pontificium mense martio anni 2009 promotam quod attinet, attento quod actio haec est eadem ac petitio suspensionis actus impugnati iterum iterumque porrecta, cui responsionem:

- integram atque ditissimam dederat decretum in Congressu diei 12 septembris 2008 latum;
- indirectam autem dat hoc decretum, quo negatur Rev.dum Recurrentem probabilibus argumentis ostendisse Exc.mum Commissarium Pontificium illegitime constitutum fuisse (cf. can. 1496, § 1);

Vi art. 83, § 1 Legis propriae H.S.T.;

Re sedulo examini subiecta in Congressu coram infrascripto Praefecto die 18 iunii 2009 habito,

decrevit:

«**Recursum, quo Rev.dus P. Daniel Zavala Arévalo decretum die 14 maii 2008 a Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae latum impugnavit, reiciendum esse atque reici, utpote quolibet fundamento manifeste destitutum**».

Retinetur cautio pro expensis processualibus deposita. Partes suo quaeque Patrono congruum solvant honorarium.

Quod notificetur iis quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 18 iunii 2009.



+ Raimundus Leo Burke

+ Raimundus Leo BURKE, Praefectus

+

+ Franciscus DANEELS, o.praem., Secretarius